

I. *Quid sit rei.*

II. *Quæ principia Iridis.*

III. *Quæ causæ diversitatis Colorum.*

IV. *Quæ causa circularis Figuræ.*

V. *His demum subjicientur consecutaria & Axiomata quædam.*

### SECTIO PRIMA DE DEFINITIONE IRIDIS.

*Est autem Iris meteorum Emphaticum, à Radiorum corporis luminosi, in vapore qui jam incipit in stillas resolvi, refractione & reflexione genitum arcum diversicolore exhibens.*

Hanc definitionem antequam in suas partes resolvemus, quæ circa definitum notanda veniunt dispiciemus, ubi se primum nobis offert *etymologia*: *Iris* derivata vox est à verbo  $\epsilon\iota\rho\alpha$  i. e. λέγω dico, fingebatur namq; antiquitus DEÆ fuisse Thaumantis & Electræ filia, Deorum reliquorum nuncia, ut notat Hesiod. in Theog: quæ notatio jure merito jam ex Scholis Christianorum exploditur, substitutâ eâ, quod sit nuncia fœderis pacti inrer Deum & genus humanum, de quo Genes. c. 9. v. 12, 13. 2. *Homonymia*: aliter nomen Iridis usurpatur à Poëtis (pro DEÆ sci: modo dicta) aliter ab Anatomicis, quibus notat partim circulum in oculo juxtâ pupillam, annotante Bud. in Lex: partim herbam aromaticam, de qua Diosc. lib. 1. c. 1. & Theoph. lib. 1. Hist. plant: Gaza per consecatricem exponit. Aliter à physicis & Opticis, in eo nempe sensu quo definita est. 3. *Synonymia*. Græca hæc vox cum sit substituerunt pro ea Latini vocem Arcus & quidem cum addito Cœlestis: ut apud Senec: q. nat. lib. 1. passim: Livium lib 2. c. 59. videre est.

*Genus* hujus definiti est METEORON, prædicatur enim de eo in *Quid* tanquam de differenti specie à reliquis, notatio autem vocis est hæc quod dicatur à  $\mu\epsilon\tau\epsilon\alpha\iota$  &  $\epsilon\omega\rho\epsilon\alpha$  quod est suspendi-

um.